

praecessit primum etc. Unde et angelus dixit: *Ipsa praecedet ante ipsum*, etc. Secundo quantum ad vivendi modum: quia Elias in desertis morabatur, parco utebatur cibo, et duris vestibus operiebatur, ut dicitur III Reg. xix, et IV Reg. i. Et Ioannes in desertis erat, cibus ei locustae et mel silvestre, et zona eius de pilis camelorum. Tertio quantum ad zelum: quia Elias maximi zeli fuit: unde dicebat III Reg. xix, 10: *Zelo zelatus sum pro Domino*. Sic et Ioannes zelo veritatis mortuus est, ut patet Matth. xiv.

231 Consequenter cum dicit: *Propheta es tu?* ponitur tertia quaestio: ubi primo quaeritur, cum dicatur Luc. i, 76: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, etc. quid est quod Ioannes interrogatus si esset Propheta, respondit se non esse Prophetam? Ad quod tripliciter respondetur. Uno modo quod Ioannes non est Propheta simpliciter, sed plusquam Propheta: alii namque Prophetae solum futura praedicebant a remotis; Habac. ii, vers. 3: *Si moram fecerit, exspecta illum*: Ioannes vero Christum praesentem annuntiavit, quasi digito ostendens. Infra (hoc cap.): *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ideo, Matth. xi, Dominus dicit eum esse plusquam Prophetam. Item alio modo, secundum Origenem, quia Iudaei ex malo intellectu tres excellentes personas futuras credebant circa adventum Christi, scilicet ipsum Christum, Eliam, et quemdam alium maximum Prophetam: de quo Deut. cap. xviii, 15: *Prophetam suscitabit nobis Dominus*, etc. Et licet hic maximus Propheta, secundum veritatem, non sit alius quam Christus, tamen secundum Iudaeos alius est a Christo; et ideo non quaerunt simpliciter utrum fit Propheta, sed an sit ille Propheta maximus: quod quidem ex ordine quaestionis apparet: nam primo quaerunt an sit Chri-

stus; secundo an sit Elias; tertio an sit Propheta ille. Et ideo in Graeco ponitur hic articulus, ut dicatur *ly Propheta*, quasi anthonomastice dictum. Tertio modo quia Pharisei movebantur contra Ioannem, quod sibi baptizandi officium praeter ordinem legis et traditionem eorum assumpsisset. De tribus autem habetur in veteri Testamento, quibus competere poterat baptizare, scilicet de Christo; Ezech. xxxvi, 25, ex persona Christi dicitur: *Efundam super vos aquam mundam*, etc. Item de Elia, de quo dicitur IV Reg. ii, quod divisit aquas Iordanis; et transiens raptus est. Item de Eliseo, qui Naaman Syrum lavari fecit septies in Iordane, ut lavaretur a lepra: ut dicitur IV Reg. iv. Videntes ergo Iudaei Ioannem baptizare, credebant eum aliquem istorum esse, scilicet Christum, vel Eliam, vel Eliseum; et ideo cum dicunt hic: *Propheta es tu?* interrogant an sit Eliseus. Et dicitur singulariter, *Propheta*, propter multa miracula quae fecerat: unde et ipse dicit IV Reg. v, vers. 8: *Sciat Prophetam esse in Israel*. Et secundum hoc respondet: *Non sum*, scilicet Eliseus.

Consequenter cum dicit: *Dixerunt ergo ei, Quis es?* ostendit quomodo confessus est se esse quod erat. Et primo ponitur interrogatio nuntiorum; secundo responsio, ibi: *Ego vox clamantis in deserto*. Dixerunt ergo: *Quis es tu? ut responsum demus his qui miserunt nos*; quasi dicant: Ad hoc missi sumus, ut sciamus quis es; ideo dicas nobis: *Quid dicis de te ipso?* Sed attende Ioannem devotionem; iam implevit quod Apostolus dicit: *Vivam ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. ii, 20). Et ideo non respondet: Ego sum filius Zachariae, vel talis; et talis; sed solum illud in quo Christum sequebatur.

Unde dicit: *Ego vox clamantis in deserto*. Dicit autem se vocem esse, quia

vox origine posterior est verbo, sed notitia prior. Nam verbum in corde conceptum, per vocem prolatam cognoscimus, cum sit signum eius. Deus autem Pater praecursorem misit Ioannem in tempore factum, ut Verbum suum ab aeterno conceptum annuntiaretur; et ideo congrue dicit: *Ego vox*. Quod autem addit: *Clamantis*, potest intelligi dupliciter, ut scilicet sit vel Ioannes in deserto clamantis et praedicantis, vel Christi clamantis in ipso, secundum illud (II Cor. ult., 3): *An experimentum eius quaeritis qui in me loquitur Christus?* Clamat autem propter quatuor. Primo namque clamor manifestationem importat; et ideo ut ostendat quod Christus in Ioanne et in se manifeste loquebatur, clamat; infra vii, 37: *In novissimo die magno festivitatis stabat Iesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat*. In Prophetis autem non clamavit, quia prophetiae in aenigmate et figuris datae sunt; unde in Psal. xvii, 12 dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Secundo, quia clamor fit ad distantes; Iudaei autem elongati erant a Deo; ideo necesse erat quod clamaret; Psal. lxxxvii, 19: *Elongasti a me amicum et proximum*. Tertio clamat, quia surdi erant; Is. xlii, 19: *Quis surdus, nisi servus meus?* Quarto clamat, quia cum indignatione loquitur, quia ipsi iram Dei meruerunt; Psal. ii, 5: *Loquitur ad eos in ira sua*, etc. Sed attende quod clamat in deserto; quia Luc. iii, 2: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto*. Et potest esse huiusmodi ratio et litteralis et mystica. Litteralis quidem, ut in deserto manens, immunis esset ab omni peccato ut sic dignior esset Christo testimonium ferre; et ex vita sua testimonium suum credibilis esset hominibus. Mystica autem causa duplex est: nam per desertum gentilitas designatur, iuxta illud

Is. liv, 1: *Multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum*. Ut ergo ostenderet quod doctrina Dei de cetero non debet esse in Ierusalem tantum, sed in gentibus; clamavit in deserto; Matth. xxi, 43: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius*. Item per desertum intelligitur Iudaea, quae iam deserta erat; Matth. xxiii, 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Clamavit ergo in deserto, idest in Iudaea, ut per hoc daretur intelligi, quod populus cui praedicabat; iam desertus erat a Deo; Psal. lxxii, 3: *In terra deserta et inopia et iniqua sic in sancto apparui tibi*. Sed quid clamat? *Dirigite viam Domini*: quia ad hoc missus fuit; Luc. i, vers. 76: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, praecibus enim ante faciem Domini parare vias eius*. Via autem ad recipiendum Deum parata et recta, est via iustitiae, secundum illud Is. xxvi, 7: *Semita iusti recta est*, etc. Tunc enim semita iusti est recta quando homo totus subiicitur Deo, ut scilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo subdantur: et hoc sicut dicit *Isaias propheta*; idest, sicut praedixit quasi dicat: Ego sum ille in quo ista complentur.

Supra Ioannes interrogatus perhibuit 234 testimonium Christo de seipso quantum ad personam; hic vero quantum ad officium. Et circa hoc ponitur quatuor. Primo interrogantes; secundo interrogatio, ibi: *Et interrogaverunt eum*; tertio responsio, in qua testimonium perhibuit, ibi: *Respondit eis Ioannes*, etc.; quarto locus ubi haec facta sunt, ibi: *Haec in Bethania facta sunt*, etc. Interrogantes autem sunt Pharisei; unde dicit: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis*. Et quidem, secundum Origenem, quod dicitur ex hoc loco, ad aliud testimonium pertinet: et isti qui missi sunt ex Pha-

risaeis, non sunt iidem cum sacerdotibus et levitis, qui missi sunt a Iudaeorum universitate; sed alii specialiter missi a Pharisaeis; et secundum hoc dicitur: *Et qui missi sunt*, non a Iudaeis scilicet, sicut fuerunt sacerdotes et levitae, sed alii *erant ex Pharisaeis*: et ideo dicit, quod quia sacerdotes et levitae disciplinati erant et reverentes, humiliter et cum reverentia Ioannem interrogant de eius dignitate, utrum scilicet Christus esset, an Elias, an Propheta; isti vero, qui ex Pharisaeis erant secundum nomen suum divisi et importuni, contumeliosas voces praetendunt Baptistae: unde dixerunt ei: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Secundum alios vero, Gregorium scilicet, Chrysostomum et Augustinum, isti qui ex Pharisaeis, sunt illi iidem qui missi fuerant a Iudaeis sacerdotes et levitae. Quaedam enim secta erat inter Iudaeos, qui propter exteriorem cultum divisi erant ab aliis: unde et Pharisaei, idest divisi, vocabantur: in qua quidem erant aliqui de sacerdotibus et levitis, et aliqui de populo. Ut ergo nuntii maioris auctoritatis essent, miserunt sacerdotes et levitas, qui erant ex Pharisaeis, ut eis nec sacerdotalis ordinis dignitas, nec religionis deesset auctoritas. Ideo autem Evangelista addit hoc quod dicitur: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis*, ut primo quidem rationem questionis baptismi Ioannis, pro qua missi non fuerunt, assignet; quasi dicat: Missi fuerunt, ut interrogarent a Ioanne quis esset. Sed quod quaerunt, *Quid ergo baptizas?* fecerunt, quia erant ex Pharisaeis, quibus eorum religio ausum praebat. Secundo, ut dicit Gregorius, ut ostendat qua intentione quaesierunt a Ioanne: *Tu quis es?* Pharisaei enim inter omnes alios insidiose, et calumniose se habebant ad

Christum. Unde ipsi dixerunt ei (MATTH. XII, 24): *In Beelzebub principe daemoniorum daemonia eiicit. Ipsi etiam inierunt cum Herodianis consilium, ut caperent Iesum in sermone.* (Matth. XXII, 15). Et ideo per hoc quod dicit: *Qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis*, ostendit, quod calumniose se habebant, et ex invidia eum interrogaverunt. Interrogatio autem est de officio baptizandi; unde dicitur: *Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas?* etc. Unde notandum est, quod non quaerunt ut sciant, sed ut impediant: quia enim videbant multitudinem populi ad Ioannem currere, propter novum ritum baptizandi, et extraneum a ritu Pharisaeorum et legis, invidebant Ioanni, et conabantur pro posse, impedire baptismum eius: et ideo se continere non valentes, suam manifestant invidiam et dicunt: *Qua ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* quasi dicant: Non debes baptizare, ex quo negas te esse aliquem illorum trium in quibus praefiguratus est baptismus, ut dictum est supra; scilicet: *Si tu non es Christus*, qui habiturus est fontem in ablutionem peccati; et si non es Elias, sive Propheta, idest Eliseus, qui siccio vestigio Iordanem transiverunt, ut dicitur IV Reg. II, quomodo audes baptizare? Similes istis sunt invidi, animarum profectum impediendes: *Qui dicunt videntibus. Nolite videre.* etc. (Is. XXX, 10). Responsio autem est vera: unde dicit: *Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua*; quasi dicat: non debetis mirari, si ego, qui non sum Christus, nec Elias, nec Propheta baptizo: quia baptismus meus non est completivus, sed imperfectus. Nam ad perfectionem baptismi exigitur lotio corporis et animae; et corpus quidem secundum naturam lavatur aqua, anima vero non nisi spiritu; unde: *Ego baptizo*

in aqua; idest, corpore lavo corpus. Veniet autem alius, qui perfecte baptizabit, scilicet in aqua et Spiritu sancto, Deus et homo, qui et corpus aqua et spiritum spiritu lavabit: ita quod sanctificatio spiritus derivabitur ad corpus; Actor. I, 5: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

235 Testimonium autem perhibet de Christo, cum dicit: *Medius autem vestrum stetit*, etc.: et primo per comparisonem ad Iudaeos; secundo per comparisonem ad seipsum, ibi: *Ipse est qui post me venturus est.* Ad Iudaeos autem comparat eum dicens: *Medius autem vestrum stetit*; quasi dicat: Ego imperfectum opus feci; sed est alius qui perficiet opus meum, qui *medius vestrum stetit*: quod quidem exponitur multipliciter. Uno siquidem modo, secundum Gregorium, Chrysostomum et Augustinum, ut referatur ad communem Christi conversationem inter homines: quia secundum naturam humanam aliis hominibus similis apparuit; Phil. II, 6: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et secundum hoc dicit: *Medius vestrum stetit*; idest, multoties conversatus est quasi unus ex vobis; Luc. XXII, 27: *Ego in medio vestrum sum. Quem vos nescitis*, idest, hoc quod Deus factus est homo, capere non potestis. Item nescitis quam magnus sit secundum naturam divinam, quae in eo latebat; Job XXXVI, 26: *Ecce Dominus magnus vincens scientiam vestram.* Et ideo, ut Augustinus dicit: "accensa est lucerna (scilicet Ioannes) ut inveniat Christus"; Psal. XIII, 17: *Paravi lucernam Christo meo.* Alio modo exponitur, secundum Origenem, et hoc dupliciter. Primo ut referatur ad Christi di-

vinitatem; et secundum hoc, *medius vestrum*, idest in medio omnium rerum, *stetit*, scilicet Christus: quia ipse secundum quod Verbum a principio creaturae implevit universam creaturam; Ierem. c. XXXIII, 24: *Coelum et terram ego impleo. Quem tamen vos nescitis*; quia ut dicitur supra: *In mundo erat... et mundus eum non cognovit.* Alio modo ut referatur ad causalitatem humanae sapientiae, et dicitur: *Medius vestrum stetit*; idest, in intellectu omnium relictus; quia quidquid lucis et sapientiae est in hominibus, provenit eis ex participatione Verbi. Et dicit, *In medio*, quia in medio hominis corporaliter est cor, cui attribuitur quaedam sapientia et intellectus: unde licet intellectus non habeat organum corporale, tamen quia cor est principale organum, consuevit accipi pro intellectu: unde in medio stare dicitur secundum hanc similitudinem, in quantum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quem tamen vos nescitis*: quia, ut dicitur supra: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Quarto modo exponitur ut referatur ad prophetiam Christi praenuntiationem, ut sic respondeatur principaliter Pharisaeis, qui continue Scripturas veteris Testamenti, in quibus praenuntiabatur Christus, inquirebant, et tamen eum non cognoscebant; et secundum hoc dicitur: *Medius vestrum stetit*; idest, in sacra Scriptura, quam vos semper revolvitis; infra v, 39: *Scrutamini Scripturas. Quem tamen vos nescitis*: quia cor vestrum induratum est propter infidelitatem, et oculi vestri excaecati sunt, ut non agnoscatis praesentem, quem creditis futurum.

Comparat autem Christum ad se Ioannes, cum dicit: *Ipse est qui post me venturus est*: ubi primo ponit excellentiam Christi ad seipsum; secundo vero excel-

lentie immensitatem ostendit, ibi: *Cuius non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*. Excellentiam autem Christi ad seipsum ostendit et quantum ad ordinem praedicationis, et quantum ad ordinem dignitatis. Quantum quidem ad ordinem praedicationis, Ioannes primo innouit; et ideo dicit: *Ipsa est qui post me venit, ad praedicandum, baptizandum et moriendum*: quia, ut dicitur Luc. 1, 76: *Praecibus ante faciem Domini, parare vias eius*. Sed Ioannes quidem praecessit Christum; sicut imperfectum perfectum, et sicut dispositio formam; sicut dicitur I Cor. xv, 46: *Non prius quod spirituale, sed quod animale*. Nam tota vita Ioannis fuit quoddam praeparatorium ad Christum; unde dixit supra: *Ego vox clamantis in deserto*. Sed Christus praecessit Ioannem et nos omnes, sicut perfectum imperfectum, et sicut exemplar exemplatum; Matth. xvi, 24: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*; I Pet. ii, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Quantum vero ad ordinem dignitatis; cum dicit: *Qui ante me factus est*; idest, mihi praelatus est, et dignitate praepositus; quia, ut dicit infra cap. iii, 30: *Me oportet minui, illum autem crescere*.

337 Immensitatem autem excellentiae assignat cum dicit: *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti*; quasi dicat: Non intelligatis ipsum mihi in dignitate praepositum, sicut unus homo praefertur alteri; sed tam excellenter, quod nihil sum in comparatione ad ipsum. Et hoc patet: quia non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti eius: quod est minimum obsequium quod hominibus fieri potest. Ex quo patet quod Ioannes multum accesserat ad Dei cognitionem, in quantum ex consideratione infinitae magnitudinis Dei se totaliter

vilipendebat, et nihil se esse dicebat, Gen. xviii, 27: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*. Sic Iob xlii, 7, cum Dominum vidisset, dixit: *Nunc oculus meus videt te; idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere*. Sic Is. xl, 17, postquam vidit gloriam Dei dixit: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*. Et haec quidem expositio est litteralis. Exponitur autem et mystice. Uno modo secundum Gregorium, ut per calceamentum, quod fit de pellibus mortuorum animalium, intelligatur humana natura mortalis, quam Christus assumpsit; Psal. lxx, 20: *In Idumea extendam calceamentum meum*, etc. Corrigia autem calceamenti eius, est ipsa unio divinitatis et humanitatis: quam nec Ioannes, nec aliquis potest solvere; nec potuit plene investigare; cum talis esset quod hominem faceret Deum, et Deum hominem: et ideo dicit: *Cuius non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*; idest, ut explicem mysterium incarnationis etc. Intelligendum est plene et perfecte: nam quoquo modo et Ioannes et alii praedicatores, licet imperfecte, solvunt corrigiam calceamenti. Alio modo exponitur, quia in veteri lege praecceptum erat, Deut. cap. xxv, quod quando aliquis moriebatur sine liberis, frater defuncti uxorem defuncti recipere tenebatur, et ex ea semen fratri suo suscitare: quod si nollet eam in uxorem recipere, tunc aliquis propinquus defuncti eam recipere volens, debebat eum discalceare in signum huius cessionis, et illam in uxorem recipere, et domus eius debebat vocari domus discalceati. Secundum hoc ergo dicit: *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*; idest, non sum dignus habere sponsam, quae sibi debetur, Ecclesiam; quasi dicat: Non sum dignus ut vocer sponsus Ecclesiae, quae consecratur Chri-

sto in baptismo spiritus; ego autem baptizo in aqua tantum; infra iii, 29: *Qui habet sponsam, sponsus est, etc.*

238 Locus autem ubi praedicta facta sunt, subditur consequenter cum dicit: *Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem*. Sed circa hoc primo consurgit quaestio. Cum Bethania sit in monte Oliveti quod est iuxta Ierusalem, sicut dicitur Ioann. xi, et Matth. xvi, quomodo dicit quod facta sunt trans Iordanem, qui multum distabat ab Ierusalem? Sed dicendum, secundum Origenem et Chrysostomum, quod non debet dici Bethania, sed Bethabara, quae est quaedam villa ultra Iordanem: et hoc quod dicit Bethania, corruptum est vitio scriptorum. Sed quia tam libri graeci quam latini habent Bethania, ideo dicendum est aliter, quod est duplex Bethania: una quae est prope Ierusalem in latere montis Oliveti, alia trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Quod autem mentionem facit de loco, habet rationem litteralem et mysticam. Litteralem quidem secundum Chrysostomum, quia Ioannes scribebat Evangelium istud viventibus forte aliquibus qui et tempus quo ista facta sunt, et locum viderunt, et ideo quasi ad maiorem certitudinem illos testes facit illorum quae viderant. Mysticam vero, quia haec loca conveniunt baptismo; nam si dicitur Bethania, quae domus obedientiae interpretatur, significat quod necesse est per obedientiam fidei ad baptismum pervenire; Rom. 1, 5: *Ad obedientiam fidei in omnibus gentibus*. Si vero dicitur Bethabara, quae interpretatur domus praeparationis, significat quod per baptismum praeparatur homo ad vitam aeternam. Nec vacat mysterio quod trans Iordanem sit; Iordanis enim interpretatur descensus eorum; et, secundum Origenem, significat Christum qui descendit de caelis, ut dicit ipse (infra vi, 38):

Descendi de caelo, ut facerem voluntatem Patris mei. Unde dicitur Eccli. xxiv, 41: *Ego quasi fluvius Dorix*. Per ipsum autem omnes ingredientes in hunc mundum, mundari convenit, secundum illud Apocal. 1, 5: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Convenienter etiam Iordanis baptismum significat: ipse enim confinium est inter illos qui acceperunt sortes haereditatis a Moysse ex una parte Iordanis, et illos qui acceperunt a Iosue ex alia; et ita baptismus quasi quoddam confinium est inter Iudaeos et Gentiles, qui proficiscuntur illuc, ut se lavent ad Christum venientes, ut opprobrium peccati deponant; sicut enim filios Israel terram promissionis intrantes oportuit transire Iordanem, ita et per baptismum oportet patriam coelestem intrare. Dicit autem: *Trans Iordanem*, ut insinuet quod etiam trasgressoribus et peccatoribus baptismum poenitentiae praedicabat Ioannes; unde et Dominus, Matth. ix, 13: *Non veni vocare iustos, sed peccatores*.

Varia de Adventu, ex Benedicto XIV.

(INSTIT. IV, 5, 6.)

V.

339 QUAMQUAM vero nefarius Dallaeus summopere contendat ab Apostolis traditum, indictumque minime fuisse ieiunium, cuius meminit Zacharias, cum ingratum Deo, invisumque ex sacris litteris fuisse liquido appareat: *Cum ieiunaretis, et plangeretis in quinto, et septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* Doctissimi tamen viri id evenisse iure asserunt, quod huiusmodi ieiunium cum pietate, et religione minime coniungeretur. Id etiam Zachariae ipsius testimonio deprehenditur. *Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens: Haec ait Dominus exercituum dicens: iudicium verum iudicate, et miserationes facite unusquisque cum fratre suo; et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, et malum viri fratri suo non cogitet in corde suo.*

Itaque impudentissimus sane est, qui ieiunium suapte natura Deo minime acceptum fuisse divul-

gat, cum voluntatem ipse suam aperte significaverit: *Haec dicit Dominus exercituum: ieiunium quarti et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi erit Domini Iuda in gaudium, et Iudaeiam, et in sollemnitates praecelaras, veritatem tantum, et pacem diligite.* Egregios de ieiunio libros conscripsit Laurentius Cardinalis Cozza, quibus Dal-lae audacia perfringitur, ac mendacia refelluntur.

241 VI. Quare illud ex Zacharia solum intelligitur, nullius meriti ieiunium fore, nisi pariter animus criminum maculis expurgetur, quod ex Isaia clare perspicitur, ubi Iudaeis querentibus nullum se ex ieiunio fructum percepisse, his verbis respondetur: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra; et omnes debitores vestros repetitis: Ecce ad illes, et contentiones ieiunatis, et percussis pinguo impiis. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiat in excelsis clamor vester.* Denique populo suo Dominus, ut pie, sanctaeque ieiunent, palam denuntiavit: *Sanctificate ieiunium: quod sic potissimum a S. Gregorio declaratur: ieiunium quippe sanctificare est, adiunctis bonis aliis, dignum Deo abstinentiam carnis ostendere*

FERIA SEXTA

QUATOR TEMPORUM ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. 1, 39-47.

In illo tempore: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda.

40. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.

41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth:

42. et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Exce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata, quae credidisti, quoniam perficeretur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria:

Magnificat anima mea Dominum:

47. et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.
EXPOSIT. IN LUCAM, LIB. 2.

242 **M**ORALE est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo angelus cum abscondita nuntiaret, ut fides astrueretur exemplo, senioris feminae sterilisque conceptum virgini

Mariae nuntiavit; ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

243 Discite et vos, sanctae mulieres, sedulitatem quam praegnantibus debeatis exhibere cognatis, Mariam quae ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana virgo cum festinatione, virgo officii memor, iniuriae immemor, affectu vigente, non sexu, relicta perrexit domo.

244 Discite, virgines, non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quae propter officium venerat, inhaerebat officio. Mansit ergo mensibus tribus, non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat.

245 Didicistis, virgines, pudorem Mariae; discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior saltavit; de- cet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit honorem deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est et causa pietatis, est etiam norma doctrinae. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioan-nem. Denique etiam postea, ut sanctificaret baptismum Ioannis, Dominus venit ad baptismum. Cito quoque adventus

Mariae, et praesentiae Dominicae beneficia declarantur.

246 *Simul enim ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius. Et repleta est Spiritu sancto.* Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Ioannes prior gratiam sensit: illa naturae ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii: illa Mariae, iste Domini sensit adventum: femina mulieris, et pignus pignoris. Istae gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus; duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, repleta est mater. Non prius mater repleta, quam filius: sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem. Exsultavit Ioannes, exsultavit et Mariae spiritus. Exsultante Ioanne, repletur Elisabeth: Mariam tamen non repleti Spiritu, sed Spiritum eius exsultare cognovimus; incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum.

247 *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec unquam obliviscitur. Et propheta non solum rerum completur miraculis sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: *Ecce haereditas Domini, filii; merces, fructus ventris?* (PSAL. CXXVI, 3). Hoc est, haereditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius qui de Mariae ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Isaia dicens: *Exiet virga de radice Iesse, et flos ex radice eius ascendet* (Is. XI, 1); radix enim est familia Iudaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus: qui veluti

bonae arboris fructus pro nostrae virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediviva corporis resurrectione reparatur.

248 *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Non quasi ignorans dicit; scit enim esse Spiritus sancti gratiam et operationem, ut mater Prophetae a matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur: sed quasi non humani hoc meriti, sed divinae gratiae munus esse cognoscat, ita dicit: *Unde hoc mihi?* hoc est, quantum bonum mihi accidit, ut mater Domini mei veniat ad me? Non cognosco meum. *Unde hoc mihi, qua iustitia, quibus factis, pro quibus meritis?* Non usitata haec officia feminarum sunt: *Ut veniat mater Domini mei ad me.* Miraculum sentio, cognosco mysterium: mater Domini Verbo foeta, Deo plena est.

249 *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit gaudio infans in utero meo: et beata quae credidisti.* Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam. *Beata, inquit, quae credidisti.* Sed et vos beati, qui audistis et credidistis; quaecumque enim crediderit anima et concipit et generat Dei Verbum, et opera eius agnoscit. Sit in singulis Mariae anima, ut magnificet Dominum; sit in singulis spiritus Mariae, ut exsultet in Deo. Si secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit Dei Verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiiis, intemerato castimoniam pudore custodiat.

250 Quaecumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariae magnificavit Dominum, et exsultavit spiritus eius in Deo salutari. Magnificatur enim Dominus, sicut et alibi legis: *Magnificate Dominum mecum* (PSAL.

XXXIII, 4); non quod Domino aliquid humana voce possit adungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est; et ideo si quid iustum fecerit anima aut religiosum, illam imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eum, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit; ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, et quadam aemulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariæ Dominum, et exultat spiritus eius in Deo; eo quod et anima et spiritu Patri Filioque devota, unum Deum ex quo omnia, et unum Dominum per quem omnia, pio veneretur affectu.

251 Sequitur Mariæ, quo persona melior, eo propheta plenior. Nec otiosum videtur quod et ante Ioannem Elisabeth prophetat, et Mariam ante Domini generationem; serpunt enim iam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum a mulieribus coepit: ita etiam bona a mulieribus inchoantur; ut feminas quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient: et anima quæ non habet sexum, ut Mariam quæ nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCL. MEDIOLANENS. I, 95-96).

252 SACRA quatuor ieiuniorum tempora, ex sancti Spiritus doctrina salutariter instituta, sicut olim et frequenti fidelium conventu, solemnitate, et religioso supplicationum officio celebrantur: ita ad illorum cultum, pastoralis cura eruditius fidelium mentibus, in usum antiquæ pietatis revocanda sunt.

253 Quare in omni provincie nostræ Ecclesia, vel cathedrali, vel parochiali, non solum die Dominico illa tempora præcedent, sed etiam ubi populus erit frequens, feria quarta proxime sequenti, eo de genere concionem sacram haberi statuimus: qua

fideles excitati, solemnibus his feriis, quarta scilicet, sexta, et sabbato, pro antiquæ devotionis consuetudine, frequentiores Missæ sacro, divinisque officiis, ut in Moguntino Concilio primo cautum est, intersint: orationes, ieiunia, elemosynas, ceteraque pietatis operâ præstent: quibus quo specialius illæ ferie præstitutæ sunt, eo vehementiori christianæ virtutis contentione ad illa paratos esse oportet.

Ad quam diligentiam parochi præterea fidelium charitatem omni religioso proposito ita præparare studeant, ut unanimiter auxiliante Christo, statarum illarum farjarum solemnitatem religiosa piorum opere sollicitudine celebrantes, sabbato sub vesperum frequentissimi ad Ecclesiam, ut plac consuetudinis fuit, conveniant: ubi sanctis precibus, cum pro sacra ordinatione, tum pro his commodis, quæ singulorum annorum revolutione consequimur, omnium bonorum largitori Deo gratia habeatur, sicut et instituta illorum temporum ratio, et christianæ religionis cultus deponit.

Idem statim illis temporibus populo denunciandis, 255 formulam hanc, ex sanctissimi Pontificis Leonis primi verbis conceptam adhibeat: cuius sententiam, etiam vulgari sermone explicent uberius.

FORMULA DENUNCIATIONIS IEIUNII
QUATUOR TEMPORUM.

* Quod sacrorum temporum ratio, et devotionis 256
* christianæ admonet consuetudo, paterna vobis,
* dilectissimi, sollicitudine denunciavimus; mensis
* N. sacrum celebrandum esse ieiunium, divinitus
* inspirata doctrina præceptum, ac statim mensium
* curricula distributum: ut lege abstinentiæ omni-
* bus adscripta temporibus, et aliis christianæ mi-
* litæ præsidis, ad mentium nostrarum, corpo-
* rumque sanctificationem divinæ institutis, stato-
* riarum intervallo sine cessatione renovatis, nos
* ardentiori cura, maiori studio in salutis cursu
* progrediamur, quo specialius præstituti sunt dies
* ad pietatis officia. Quarta igitur, sexta feria, et
* sabbato ieiunemus: frequentes in cathedrali, pa-
* rochiali que Ecclesia ad litanias, orationemque
* conveniamus; et quo sacris illis feriis a cibo ab-
* stinentiores esse debemus, eo abundantiori elec-
* mosynarum liberalitate erga Christi pauperes
* effusiores simus: tum Sabbato sub vesperum ora-
* tionem parochialem communem celebremus, qua,
* et pro spe felicitatis æternæ, ad quam per fi-
* dem currimus, et pro sacra ordinatione, quam
* eo die a Reverendissimo Episcopo haberi solemne
* est, et pro illis commodis, quæ singulorum an-
* norum revolutione consequimur, Deo omnipotenti
* gratias agamus, eundemque religiosis supplica-

* tionibus oremus, quatenus sanctorum, quorum
* patrocinia imploramus, suffragantibus meritis, eius
* misericordiam in omnibus impetremus, per Do-
* minum nostrum Iesum Christum, qui cum Pa-
* tre, etc. »

SABBATO

QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

LUC. III, 1-11.

ANNO quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iuræacæ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha;

2. sub principibus sacerdotum Anna et Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto:

3. et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum,

4. sicut scriptum est in libro sermonum Isaie prophetae: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius:

5. omnis vallis implebitur: et omnis mons, et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas:

6. et videbit omnis caro salutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibat ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne cuperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.

9. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat.

Homilia S. Gregorii Papæ.

HOMILIA XX. in EVANGELIA. Habita in basilica sancti Iohannis Baptistæ, Sabbato Quatuor temporum ante Natalium Christi.

257 REDEMPTORIS nostri præcursor quo tempore prædicationis verbum acceperit, memorato Romanæ reipublicæ principe, et Iudææ regibus, designatur, cum dicitur: Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iuræacæ, et Tra-

chontidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha; sub principibus sacerdotum Anna et Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium in deserto. Quia enim illum prædicare veniebat, qui et ex Iudæa quosdam, et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Iudæorum prædicationis eius tempora designantur. Quia autem Gentilitas colligenda erat, et Iudæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit, quoniam et in Romana republica unus præfuisse describitur, et in Iudææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce etenim Redemptoris nostri dicitur: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur (LUC. XI, 17). Liqueat ergo quod ad finem regni Iudææ pervenerat, quæ tot regibus divisa subiacebat. Aptè quoque non solum quibus regibus, sed etiam quibus sacerdotibus actum sit demonstratur; quia illum Ioannes Baptista prædicaret qui simul rex et sacerdos existeret, Lucas Evangelista prædicationis eius tempora per regnum et sacerdotium designavit.

Et venit in omnem regionem Iordanis 258 prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Cunctis legentibus liquet quia Ioannes non solum baptismum poenitentiae prædicavit, verum etiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: Prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat: ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum poenitentiarum, quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptisate, quo peccata solvi

non possunt; ut quia eius sermo praerebat praesentiam Redemptoris, ipsum quoque eius baptisma praecedendo fieret umbra veritatis. Sequitur:

259 *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius* (Is. xl, 3). Idem vero Ioannes Baptista requisitus quis esset, respondit, dicens: *Ego vox clamantis in deserto* (IOANN. I, 23). Qui, sicut ante per nos dictum est, ideo vox a Propheta vocatus est, quia verbum praebat. Quid autem clamaret aperitur cum subditur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*. Omnis qui fidem rectam et bonae opera praedicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium viam parat? ut haec vis gratiae penetret, ut lumen veritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonae praedicationis format. *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur*. Quid hoc loco vallium nomine nisi humiles, quid montium et collium nisi superbi homines designantur? In adventu ergo Redemptoris valles implete, montes vero et colles humiliati sunt, quia iuxta eius vocem: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et omnis qui se humiliat exaltabitur* (LUC. XIV, 11; XVII, 14). Vallis etenim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit, quia nimirum in fide Mediatoris Dei et hominum hominis Christi Iesu et gentilitas plenitudinem gratiae accepit, et Iudaea per errorem perfidiae hoc unde tumbat perdidit. Omnis enim vallis implebitur, quia corda humilium sacrae doctrinae eloquio virtutum gratia replebuntur, iuxta hoc quod scriptum est: *Qui emittit fontes in convallibus* (PSAL. CIII, 10). Et unde rursum dicitur: *Et convalles abundabunt frumento* (PSAL. LXIV, 14). A montibus nam-

que aqua dilabitur; quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum praedicationis accipiunt. Iam videmus, iam convalles frumento abundare conspiciamus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt qui mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur.

Ipsam quoque Ioannem Baptistam, 260 quia mira sanctitate praeditum populus viderat, illum hunc esse singulariter celsum ac solidum montem credebant, de quo scriptum est: *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium* (MICH. IV, 1). Nam hunc esse Christum putabat, sicut per Evangelium dicitur: *Aestimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, quem et requirebant dicentes: Numquid Christus es tu?* (LUC. III, 15). Sed nisi idem Ioannes apud se vallis esset, repletus gratiae spiritu non fuisset. Qui ut hoc quod erat ostenderet, dixit: *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calcamenti eius* (MARC. I, 7). Et rursum ait: *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc autem gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui* (IOANN. III, 29, 30). Ecce cum pro mira operatione virtutum talis sed etiam corrigiam calcamenti eius solve, id est incarnationis eius mysterium perscrutari non se dignum esse perhibuit. Eius esse sponsam Ecclesiam credebant, qui hunc quia Christus esset existimabant. Sed ait: *Qui habet sponsam sponsus est* (Ibid.). Ac si diceret: Ego sponsus non sum, sed amicus sponsi sum. Nec propter vocem suam, sed in

voce sponsi se gaudere perhibebat, quia non ideo laetabatur in corde, quoniam a populis humiliter audiebatur loquens, sed quia ipse veritatis vocem audiebat intus ut loqueretur foris. Quod bene gaudium impletum dicit, quia quisquis de sua voce gaudet, plenum gaudium non habet. A quo et subditur: *Illum oportet crescere, me autem minui* (IOANN. III, 30).

261 Quia in re quaerendum est in quo crevit Christus, in quo imminutus est Ioannes, nisi quod populus Ioannis, abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum esse Christum putabat; Christum vero cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, cum non Christum, sed esse prophetam credebatur. Sed dum per accessum temporis et Christus qui propheta esse putabatur Christus est agnitus, et Ioannes qui Christus esse credebatur propheta esse innouit, impletum est quod de Christo suus praecursor praedixit: *Illum oportet crescere, me autem minui* (Ibid.). In aestimatione quippe populi et Christus crevit, quia agnitus est quod erat; et Ioannes decrevit, quia cessavit dici quod non erat. Igitur quoniam et idem Ioannes ideo in sanctitate persistit, quia in cordis humilitate perduravit; et multi idcirco ceciderunt, quia apud semetipsos elata cogitatione tumuerunt, dicatur recte: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur*, quia donum humiles accipiunt, quod a se corda superbientium repellunt.

262 Sequitur: *Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas*. Prava directa fiunt cum malorum corda per iniustitiam detorta ad iustitiae regulam diriguntur (Is. XL, 4). Et aspera in vias planas immutantur cum immites atque iracundae mentes per infusionem supernae gratiae ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quan-

do enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam, correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam praedicator invenit, ubi prius prae asperitate itineris pergere, id est praedicationis gressum ponere non valebat.

263 Sequitur: *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Quia omnis caro accipitur omnis homo, salutare Dei, videlicet Christum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Ubi ergo in hac sententia prophetae prophetiae oculus nisi ad extremi iudicii diem tendit? Ubi cum apertis coelis, ministrantibus angelis, consentibus apostolis, in sede maiestatis suae Christus apparuerit, omnes hunc et electi et reprobi pariter videbunt, ut et iusti de munere retributionibus sine fine gaudeant, et iniusti in ultione supplicii in perpetuum gemant. Nam quia ad hoc ista sententia intendit, quod in extremo examine ab omni carne videbitur, recte subiungitur: *Dicebat autem ad turbas quae exibant ut baptizarentur ab eo: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Ventura enim ira est animadversio ultionis extremae, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit. Et notandum quod malae soboles, malorum parentum actiones imitantes, genimina viperarum vocantur, quia per hoc quod bonis invident, eosque persequuntur, quod quibusdam mala retribuunt, quod laesiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filii de venenatis parentibus nati sunt.

264 Sed quia iam peccavimus, quia usu malae consuetudinis involuti sumus, dicat quid nobis faciendum sit, ut fugere a ventura ira valeamus. Sequitur: *Fa-*

cile ergo fructus dignos poenitentiae. In quibus verbis notandum est quod amicus sponsi non solum fructus poenitentiae, sed dignos poenitentiae, admonet esse faciendos. Aliud namque est poenitentiae fructum facere, aliud dignum poenitentiae fructum facere. Utenim secundum dignos poenitentiae fructus loquamur, sciendum est quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur ut licitis utatur; sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si noluerit, ea quae mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere quanto se meminit et illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet eius qui minus et eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis et eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, et eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite dignos fructus poenitentiae*, uniuscuiusque conscientia convenitur, ut tanto maiora quaerat bonorum operum luca per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

265 Sed Iudaei de generis nobilitate gloriantes, idcirco se agnoscere peccatores nolebant, quia de Abrahae stirpe descenderant. Quibus recte dicitur: *Et ne coeperitis dicere, Patrem habemus Abraham; dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Quid enim lapides nisi corda gentilium fuerunt, ad intellectum Dei omnipotentis insensibilia? sicut etiam quibusdam ex Iudaeis dicitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra* (EZECH. XI, 19). Nec immerito lapidum nomine gentis significatae sunt, quia lapides coluerunt. Unde scriptum est: *Similes illis fiunt qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (PSAL. CXIII, 8). De quibus nimirum lapidibus filii Abrahae suscitati sunt, quia

dum dura corda gentilium in Abrahae semine, id est in Christo crediderunt, eius filii facti sunt, cuius semini sunt uniti. Unde et eisdem gentibus per Egregium praedcatorem dicitur: *Si autem vos Christi, ergo Abrahae semen estis* (GALAT. III, 29). Si igitur nos per fidem Christi, Abrahae iam semen existimus, Iudaei propter perfidiam Abrahae filii esse desierunt. Quia vero in illo tremendi examinis die parentes boni malis filiis prodesse non possint testatur Propheta qui dicit: *Noe, Daniël et Iob si fuerint in medio eorum, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas* (EZECH. XIV, 14). Et rursum, quia boni filii nihil malis parentibus prosint, sed ad reatum potius malorum parentum proficiat bonitas filiorum, ipsa per se Veritas non credentibus Iudaeis dicit: *Si ego in Beelzebub eicio daemonia, filii vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt* (LUC. XI, 19).

266 Sequitur: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Arbor huius mundi est universum genus humanum. Securis vero est Redemptor noster, qui velut ex manubrio et ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex divinitate. Quae videlicet securis iam ad radicem arboris posita est, quia etsi per patientiam expectat, videtur tamen quid factura est. *Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur,* quia unusquisque perversus paratam citius gehennae concremationem invenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit. Et notandum quod securim non iuxta ramos positam, sed ad radicem dicit. Cum enim malorum filii tolluntur, quid aliud quam rami infructuosae arboris absciduntur? Cum vero tota simul

progenies cum parente tollitur, infructuosa arbor a radice abscisa est, ne iam remaneat unde prava iterum soboles succrescat. In quibus Ioannis Baptistae verbis constat quod audientium corda turbata sunt, cum protinus subinfertur: *Et interrogabant eum turbas, dicentes: Quid ergo faciemus?* Perculsae enim terrore fuerant quae consilium quaerebant.

267 Sequitur: *Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas similiter faciat.* Per hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro quam pallium, ad fructum dignum poenitentiae pertinet ut non solum exteriora quaeque et minus necessaria, sed ipsa valde nobis necessaria dividere cum proximis debeamus, scilicet vel escam qua carnaliter vivimus, vel tunicam qua vestimur. Quia enim in lege scriptum est: *Dilige proximum tuum sicut teipsum* (MATTH. XXII, 39, ex LEV. XIX, 18), minus proximum amare convincitur qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quae sibi sunt necessaria partitur. Idcirco ergo de dividendis cum proximo duabus tunicis datur praeceptum, quia hoc de una dici non potuit, quoniam si una dividatur, nemo vestitur. In dimidia quippe tunica et nudus remanet qui accipit, et nudus qui dedit. Inter haec autem sciendum est quantum misericordiae opera valeant, cum ad fructus dignos poenitentiae ipsa prae ceteris praecipiantur. Hinc etiam per semetipsam Veritas dicit: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (LUC. XI, 41). Hinc rursus ait: *Date, et dabitur vobis* (Ibid. VI, 38). Hinc scriptum est: *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis* (ECCL. III, 33). Hinc iterum dicitur: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis et haec pro te exorabit* (Ibid. XXIX, 15). Hinc bonus pater innocentem filium admonet, dicens: *Si*

multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter stude impartiri (TOB. IV, 9).

268 Ut autem quanta esset virtus in continentia et susceptione indigentium Redemptor noster ostenderet, dicit: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet* (MATTH. X, 41). In quibus verbis notandum est quia non ait: mercedem de propheta, vel mercedem de iusto; sed: mercedem prophetae, atque mercedem iusti accipiet. Aliud est enim merces de propheta, aliud merces prophetae, atque aliud merces de iusto, aliud merces iusti. Quid est enim dicere: *Mercedem prophetae accipiet*, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat, quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiae praemia habebit? Iste enim fortasse iustus est, et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, et fortasse adhuc pro iustitia loqui libere non praesumit, iustitiae illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter iustitiae praemia recipiat, quem sustentando adiuvat, quatenus eandem iustitiam libere loqui potuisset. Ille prophetae spiritu plenus est, sed tamen corpore eget alimento. Et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui ergo alimentum prophetae propter hoc quod propheta est, tribuit, prophetiae illius vires ad loquendum dedit. Cum propheta ergo mercedem prophetae recipiet, quia etsi spiritu prophetae plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quod adiuvat. Hinc est quod de quibusdam peregrinantibus fratribus Caio per Ioannem dicitur: *Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil*

accipientes a gentilibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis (III IOANN. 7, 8). Qui enim spiritalia dona habentibus temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritalibus cooperatores existit. Nam cum pauci sint qui spiritalia dona percipiunt, et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites virtutibus pauperum inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatiuntur. Unde cum per Isaiaem vocem derelictae Domini gentilitati, id est sanctae Ecclesiae, spiritalium virtutum merita, tanquam deserto arbusta, promitteret, ulmum quoque pariter promisit, dicens: *Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivus aquarum; dabo in solitudine cedrum et spinam, myrtum et lignum olivae; ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul, ut videant et sciant, et recogitent et intelligant pariter* (Is. xli, 18-20).

269 Desertum quippe Dominus in stagna aquarum posuit, et terram inviam in rivus aquarum, quia gentilitati, quae prius per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluentia sanctae praedicationis dedit, et ipsa, ad quam prius pro asperitate suae siccitatis via praedicatoribus non patebat, doctrinae postmodum rivus emanavit. Cui adhuc ex magno munere promittitur: *Dabo in solitudine cedrum et spinam* (Ibid. 19). Cedrum, quia magni odoris est, atque imputribilis naturae, iure accipimus in promissione. De spina vero, cum peccanti homini dictum sit: *Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi* (GENES. III, 18), quid mirum si sanctae Ecclesiae illud promittitur quod peccanti homini pro poena multiplicatur? Sed cedri signantur nomine hi qui virtutes et signa exhibent in sua operatione, qui dicere cum Paulo valent: *Christi bonus*

odor sumus Deo (II COR. II, 15). Quorum corda ita in aeterno amore solidata sunt, ut eadem iam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam vero signati sunt doctrinae spiritalis viri, qui dum de peccatis ac virtutibus disserunt, et modo aeterna supplicia minantur, modo coelestis regni gaudia promittunt, corda audientium pungunt. Sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animae, lacrymae decurrant. Myrtus vero temperativae virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando restringat. Quid itaque per myrtum nisi hi signati sunt qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant? iuxta hoc quod scriptum est: *Gratias autem Deo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt* (II COR. I, 4). Qui dum afflictis proximis verbum vel opem consolationis ferunt, eos procul dubio ad statum rectitudinis restringunt, ne immoderata tribulatione in desperationem solvantur. Quos autem per olivam, nisi misericordes accipimus? quia et Graece *ελαις* misericordia vocatur, et quasi olivae liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiae fructus lucent. Cui adhuc in promissione subiungitur: *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (Is. xli, 19). Qui per abietem, quae valde crescendo ad aeris alta sustollitur, nisi hi designati sunt qui, intra sanctam Ecclesiam adhuc in terrenis corporibus positi iam coelestia contemplantur? Et quamvis nascendo de terra exierunt, contemplantur tamen iam iuxta aethera verticem mentis extollunt. Et quid per ulmum nisi saecularium mentes expressae sunt? Quae dum terrenis adhuc curis inseruntur, nullum virtutum spiritalium fructum ferunt.

Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet, quia et saeculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis spiritalium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum botris portant? Buxus autem quos alios designat, quae in altum non proficit, et quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet, nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam adhuc ex aetatis infirmitate bona opera ferre non valent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuae viriditatis tenent? Post quae omnia apte subiungitur: *Ut videant et sciant, et recogitent et intelligant pariter*. Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur, ut quisquis a proximo odorem virtutum spiritalium trahit, ipse quoque in aeternae vitae dilectione non torpeat, sed ad bonorum coelestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, ut qui praedicationis eius verbo compunctus fuerit, ipse quoque exemplo illius discat corda sequentium praedicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur, ut qui in ardore tribulationis ab ore vel opere proximi compatiens, temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum afflictis proximis suae consolationis debet indigenti proximo et ipse misereri. Ad hoc abies ponitur, ut quisquis vim contemplationis eius agnovit, ipse quoque ad contemplanda aeterna praemia succedatur. Ad hoc ulmus ponitur, ut quisquis intuitus fuerit eum qui habere virtutum fructum spiritalium non valet, sed tamen eos qui spiritalibus donis pleni sunt sustentat, ipse quoque sanctorum vitae quanta valet

largitate inserviat, et coelestium bonorum botros quos gignendo non valet sustentando ferat. Ad hoc buxus ponitur, ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos verae fidei viriditatem considerat, etiam esse ipse infidelis erubescat. Bene ergo descriptis prius arboribus dicitur: *Ut videant et sciant, et recogitent et intelligant*. Ubi et apte subiungitur *Pariter*, quia cum intra sanctam Ecclesiam diversi hominum mores diversi sunt ordines, necesse est ut omnes simul discant, dum in ea spiritalis viri diversae qualitatis, aetatis et ordinis, ad imitandum simul videntur. Sed ecce nos, dum monstrare ulmum quaerimus, per multa arbusta longius evagati sumus. Ad hoc itaque propter quod prophetae testimonium protulimus revertamur. *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet*, quia etsi fructum ulmus non habet, vitem tamen cum fructibus portans, haec ipsa sua efficit, quae bene sustentat aliena.

Quia vero ad magna nos opera Ioannes admonet, dicens: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae* (MATTH. III, 8; LUC. III, 8). Et rursus: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat* (LUC. III, 11); iam patenter datur intelligi quid est quod Veritas dicit: *A diebus Ioannis Baptistae usque nunc regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (MATTH. XI, 12). Quae supernae verba sententiae nobis sunt magno opere perscrutanda. Nam quaerendum est quomodo vim perpetui regnum coelorum possit. Quis enim caelo violentiam irrogat? et rursus quaerendum est si pati vim regnum coelorum potest, cur eandem vim a diebus Ioannis Baptistae et non etiam ante pertulerit? Sed cum lex dicat: Si quis haec vel illa fecerit, morte moriatur, cunctis legentibus liquet quia peccatores quosque poena suae se-

veritatis percult, non autem per poenitentiam ad vitam reduxit. Cum vero Ioannes Baptista Redemptoris gratiam praecurrens, poenitentiam praedicat, ut peccator qui ex culpa mortuus est per conversionem vivat, profecto a diebus Ioannis Baptistae regnum coelorum vim patitur. Quid est autem regnum coelorum, nisi locus iustorum? Solis enim iustus coelestis patriae praemia debentur, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad poenitentiam redit, et vitam aeternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Ioannis Baptistae regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, quia qui poenitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno coelorum fieri violentiam docuit?

271 Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quae fecimus, et nosmetipsos assidue lamentis atteramus. Haereditatem iustorum, quam non tenuimus per vitam, rapimus per poenitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam regnum coelorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. A spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Praestat magnam veniae fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro; nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate ergo, cogitate quam sint incomprehensibilia in omnipotenti Deo misericordiae viscera. Latro iste, cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis; ibi confessus, ibi sanatus est, ibi audire meruit: *Hodie necum eris in paradiso* (LUC. XXIII, 43). Quid est

hoc? Quis tantam bonitatem Dei dicere quis aestimare sufficiat? De ipsa poena criminis pervenit ad praemia virtutis. Ideo autem omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut aliis in culpa iacentibus, si toto ad eum corde consurgant, spem veniae reddat, et eis per lamenta poenitentiae viam pietatis aperiat. Exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis, exstinguamus fletibus et dignis poenitentiae fructibus culpas quas fecimus; ad indulgentiam nobis tempora indulta non pereant, quia qui multos a suis iniquitatibus iam sanatos aspiciamus, quid aliud quam supernae misericordiae pignus tenemus?

Varia de Adventu, ex Granellos.
(COMMENT. HIST. IN BREV. ROM., 204.)

272 Quid ad huius diei Officium spectat, S. Gregorius in Homilia super Evangelium ostendit; Baptismo S. Ioannis peccata remissa non fuisse, sed ad eorum remissionem accipiendam per Iesu Christi Baptismum solummodo praeparavisse.

273 In quibusdam Romanis Ordinibus statio erat ad S. Petrum, atque Ordinationis tempore Papa Ecclesia ista exhibat, atque in Ecclesiam S. Andreae ad Ordinationem faciendam transibat, inde ad S. Petri Ecclesiam ad Missam absolvendam revertebatur, quia: *In hoc Altari (S. Petri) nulla Consecratio debet fieri, nisi de Romano Pontifice*. Ad Missam dicebantur primum duodecim Lectiones, unde Sabbatum istud duodecim Lectionum dies appellatum fuit; ante Ordinationem scilicet, quemadmodum totidem dicebantur et antequam baptizarentur Caethecumeni, et ante Fontium Benedicentem, quae Romae Sabbato Sancto adhuc leguntur. Verum Sabbato Quatuor Temporum duodecim Lectionum numerus ad sex contractus fuit; affirmatque Micrologus c. 42, olim sex tantum recitatas fuisse, atque cum Graece, et Latine recitarentur, duodecim ita existitisse: *Hoc Sabbatum quavis sex tantum habeat Lectiones, dicitur tamen duodecim Lectionum, eo quod antiquitus Lectiones bis legebantur, Graece videlicet, et Latine*. Amalarius id ipsum iam ante adnotaverat l. 2, c. 1, atque, aetate sua idem Constantinopoli servatum fuisse, Berno Augustini, qui saeculo undecimo vivebat, testatur Romae morem viguisse eam Graeco, et Latine recitandi; primas

pro Graecis, qui Officio aderant, neque Latine sciebant, alteras vero pro Latinis; unde credibile fit, sex tantum ut hodie existitisse, atque duodecim Lectiones appellatas fuisse, quod singulae bis legerentur Latine semel, atque iterum Graeco.

274 Inter sex istas Lectiones plerumque quinque ex veteri Testamento petita sunt, atque consuetudo Sabbato Quatuor Temporum servari solet, ut pro quinta eius diei Lectione liberatio trium puerorum e fornace Babylonica accipitur ad demonstrandum, iuxta Pseudo-Alcuinum, eos qui ordinandi sunt, tanquam pueros illos probatos esse debere. Adnotat quoque, non dici *Factum genua* ad Collectionem huius Lectionis, in eorum, quae de Nabuchodonosore perfecta fuerant, detestationem, qui Dei loco statuum suam adorari faciebat. Ad finem huius Epistolae non dicitur *Deo gratias*, quia gratiae Deo redduntur per Hymnum sive Graduale subsequenter, cui *Gloria Patri* et *Sicut erat* insertum est, eo pacto quo Laudibus Dominicae ad calcem Cantici *Benedicite* additum fuit *Benedicamus Patri et Filium*. Adnotandum tamen est, doxologiam istam non exstare apud Prophetam Danielem, sed ab Ecclesia compositam et Officio suo insertam fuisse, quemadmodum et in Psalmis, aliisque Officiis sui cantibus facere solet.

275 Inter quintam et sextam Lectionem peragebatur longa atque molesta caeremonia ordinationis, quae a satis longa Litaniam incipiebat, postquam Episcopus sermonem atque hortationem faciebat, ceteras caeremonias in Pontificali designatas; ea de causa tota Sabbati nox insumebatur usque ad Dominicae initium; ea autem transacta, quarta scilicet vigilia, si incipiente iam Dominica ad postremam collectionem perventum esset, cum ea die genua flectere non liceat, *Factum genua* non dicebatur.

DOMINICA IV. ADVENTUS

LECTIO S. EVANGELII (ut heri).

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

COMMENT. IN EVANG. LUCAE CAP. 3.

276 **A**NNO quintodecimo, etc. Supra egit Evangelista de mysterio incarnationis Christi quantum ad natiuitatem in utero et ex utero; hic agit de ipso quantum ad natiuitatem extra uterum, secundum illud Ambrosii, quod dicit, illum renatum esse Sacramentis, scilicet quando baptizatus est. Et habet haec pars

tres, in quarum prima agit de baptismo et praedicatione Ioannis *in generali respectu totius populi*; in secunda vero, *in speciali respectu specialium personarum*, ibi: *Et interrogabant eum* etc.; in tertia, *in singulari respectu Christi*, ibi: *Et factum est, dum baptizaretur*. Et ordo patet, quia generale dirigit ad speciale, speciale ad singulare.

277 Quantum ad primum notandum, quod doctrina et praedicatione Ioannis commendatur a tribus: primo, a *temporis opportunitate*; secundo vero, ab *officii auctoritate*, ibi: *Factum est verbum Domini*, etc.; tertio vero, a *zeli severitate*, ibi: *Dicebat ergo ad turbas*, etc. Primum respicit quod est *extra*, secundum, quod *supra*, tertium, quod est *intra*. Et sic per omnem modum est eius praedicatione et doctrina perfecta.

278 Quantum ad primum notandum, quod *opportunitas temporis* colligitur ex tribus, scilicet ex *unione imperii Romani*, ex *partitione regni Iudaei* et ex *divisione sacerdotii levitici*; ex quibus colligitur opportunitas temporis, quia illum annuntiabat Ioannes, qui synagogam Iudaeorum dispergebat et gentium varietates in unitatem Ecclesiae congregabat.

279 Quantum ad primum notandum, quod *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*, in quo scilicet iam erat tempus adventus Christi, quia scilicet ante Tiberium fuit Iulius et Pompeius; et Iulius contrivit Pompeium, et post hos successit Tiberius. Et ita iam verificatum erat illud Danielis secundo de quarto regno, scilicet Romanorum, quod "fuit ex parte solidum et ex parte contritum"; et ideo erat tempus verificationis illius quod sequitur ibidem: "In diebus illis suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et potestas eius alteri populo non tradetur".

Quantum autem ad *partitionem regni* 280